DOMVI AVSTRIACAE SEMPER AVGVSTÆ.

DAte veniam, Auguſti Principes, ſi ad Voluminum meorum frontem Veſtras columnas transferre, & meis lucubrationibus Veſtrum PLVS VLTRA adſcribere auſus ſum. Non tam ſum arrogans vt arbitrer ad Matheſeos apicem ita me peruenisſe, quemadmodum Vos ſtatutas Herculi metas prætergreſsi, extremos gloriæ mundiqúe terminos attigiſtis. Verùm cùm à benignitate Veſtra tutelam, à nominis ſplendore lucem peterem, conſilium fuit ijs columnis, quæ magnam mundi partem ſuſtentant, operis mei limen fulcire, & ſcriptoribus ſtimulo eſſe, vt in ſapientiæ regno nullas ſibi metas poſitas rati, ſcientiarum quàm latiſsimè fines propagent: quiq́; Mathematicas colunt diſciplinas, vt vltrà quàm meis ego vigilijs eniti potui, ſuis ipſi laboribus contendant. Quod ſi cui aliquouſque progreſſus videbor, & in reperiendâ circuli quadraturâ ceteris ante me felicior fuiſſe; non tam mihi gratulabor quia repererim, quod alius nemo; quàm opto, vt, dum Vobis offero, quod alius nemini, ſingularis id obſeruantiæ argumentum permittatis eſ-